

LIBER TERTIUS  
COMMENTARIORUM  
COMITIS JACOBI PICININI  
FELICITER INCIPIT.

„ **I**llustri Braccianorum Imperatori A  
 „ Scipioni Picinino Matthæus Capuanus Præfectus militaris felici-  
 „ tatem. Hodie mane Sexto Calen-  
 „ das Sextiles Alexander Sforcia-  
 „ Dux militiæ inclytus, & Annibalis Impe-  
 „ ratoris frater, cum omni exercitu, quem  
 „ apud Laudum habebat, cumque Oppida-  
 „ nis undique collectis, in Arcem terream  
 „ Cavenagi, quam Balthitam incolæ appel-  
 „ lant, se se viriliter contulit. Id cum no-  
 „ bis foret cognitum, descendere omnes ab  
 „ equis sine impedimento permisimus; mox  
 „ præmissi pedites cum illorum pedicibus,  
 „ datis acceptisque utrinque vulneribus, ita  
 „ ut sit, manus aliquantisper conseruere. B  
 „ Hanc pugnam brevi diremimus, delibe-  
 „ raturi, hostemne invadere, an castra no-  
 „ stra repetere deberemus. Multis placuit  
 „ aggrediendi sententia, cum præsertim cer-  
 „ nerent indubitam victoriam. Alii sedu-  
 „ lè pernegare, ostendentes, non licere  
 „ præliari milites absque Imperatoris, &  
 „ Legatorum imperio, idque fuisse apud  
 „ Romanos rerum Dominos in disciplina  
 „ militari. Addebant propterea exemplum  
 „ Manlii Torquati, qui victorem filium fe-  
 „ curi percussit, quòd contra suum impe-  
 „ rium hostis victor exstiterat, ostendens  
 „ eam victoriam non sibi debitam, sed Sen-  
 „ natui Populoque Romano fuisse. Sed cum C  
 „ Joannem Polonum probare meam senten-  
 „ tiam intelligerem, idest ut hostis invade-  
 „ retur, nactus occasionem, ut saltem cum  
 „ Sforcianis aliquantulum armattractaremus:  
 „ placuit omnibus hæc sententia. Imus, ma-  
 „ gnoque animo hostes invadimus. Ego in  
 „ mea acie omnium primus, cui ex omnium  
 „ consensu tradita erat hæc provincia, re-  
 „ flecto primam hostis aciem, cui sequens  
 „ succenturiata est; cum utraque nihil ipse  
 „ veritus manum consero. Polonus interea  
 „ collis iter tenet, ut hostem à latere, vel  
 „ à tergo potius feriat. Alexander cautus  
 „ magna cum parte sui exercitus illi obviam  
 „ proficiscitur. Hic dum hostem, quicum D  
 „ pugnam, debilitarier inspexi, continuo  
 „ fortius nomine ac signo Braccianorum in-  
 „ cumbo; Pontem, quem ipse hostis fortiter  
 „ tuebatur, vi prætereo, & castra lato cam-  
 „ po diripio. Itidem ceteri factitarunt. Hic  
 „ hostes primum impedimenta omnia perdi-  
 „ derunt, carros, mulos, & equos, argen-  
 „ tum magni pretii; & vestes Alexandri,  
 „ ac Petri Mariæ Sforciani Ducis direptæ  
 „ sunt. Insuper spolia ferè omnium mili-  
 „ tum; nam ex sex & decem aciebus qua-  
 „ tuor & decem captæ ac direptæ sunt.  
 „ Alexander has nunquam effugisset manus,  
 „ nunquam mehercule evasisset, nisi illum

„ vulnerato equo fuissem persecutus. Hos  
 „ acierum Præfectos, & magnæ existimatio-  
 „ nis homines detentos adhuc habemus: Ja-  
 „ cobum Placentinum, Guidonem Assisnum,  
 „ Jacobum Petri Mariæ filium, & Joannem  
 „ Alovissii Comitum natum, itemque alios  
 „ Præfectos, & perstrenuos milites pæne  
 „ innumerabiles: quin etiam mille Urbani,  
 „ & Oppidani homines capti sunt pretio re-  
 „ dimendi. Ego Alexandrum perpaucis  
 „ fugæ suæ comitibus abiisse arbitror. No-  
 „ stri milites adhuc hostem fugientem inse-  
 „ ctantur. Satis jam satis. Honore meo ju-  
 „ dicio, nomine ac gloria tua, o Scipio  
 „ Imperator noster, fecimus. Si quid erit  
 „ post hæc, illustre Imperium tuum literis  
 „ meis passim certius reddam. Nos interea  
 „ curabimus, ut Oppidum aliquod vel Ark  
 „ saltem Laudensis agri nomine tuo in di-  
 „ tionem Veneti Senatus deveniat. Vale,  
 „ Imperator victoriosissime. Insuper Andreas  
 „ Birago Vir quidem magnificus cum du-  
 „ centis Scoppeteriis, ut vulgo appellant,  
 „ in subsidium Alexandri festinabat. Is cum  
 „ omnibus captus est: omnes à nostris veluti  
 „ pecudes capiuntur. Auriga meus tres mi-  
 „ lites, & unum Laudensem Civem captos  
 „ tenet. Ferlinus Ducis Mediolani Bombar-  
 „ derius captus & detentus est; habetur  
 „ enim in ea arte præter ceteros singularis.  
 „ Vale iterum.

C Has Capuani Literas dum in Latinitatem  
 traducerem, Serenissime Rex, scrutatus ex  
 Scipione, & ex eorum nonnullis, qui ei  
 proelio interfuere, intellexi, quadringentos  
 equos ex Alexandri copiis perditos, pedites  
 verò numero sexcentos, ex equestri ordine  
 milites XL. Alii quinque & viginti tantum  
 captos, & equis asidentes, affirmant Impe-  
 dimenta omnia direpta fuerunt. Hostium  
 acies una & decem, Venetorum novem ma-  
 gna cum electorum pedum copia: de re-  
 pente invasi sunt: quamplurimi inermes in-  
 venti, maximè Alexander ipse Dux: tam-  
 dem viriliter victi cesserunt. Magnificus  
 Andreas Birago, Joannes Alovissii Verme-  
 Comitum filius cum Jacobo Petri Mariæ filio,  
 Guido Assisnus cohorti pedum Præfectus,  
 & Franciscus Spina, qui cum fratre aciei  
 præerat cum . . . . . detenti sunt. Reliqui  
 ex usu militaris disciplinæ ereptis spoliis,  
 aut saltem equis, quibus victi insidebant,  
 sola fide liberantur. Ex Præfectis nostris Po-  
 lonus ense sub naribus fauciatus est. Brac-  
 cius Nicolai de Fortebracciis clari Ducis fi-  
 lius captus est, & alii quidam ex Equestri  
 Ordine; milites secum perpauci. Tamen  
 hujus victoriæ palmam ideo Scipioni tribuen-  
 dam judicamus, quòd primi utriusque Ordinis  
 milites stipendio suo conducti, hoc præ-  
 lium